

causam meam, sedisti super thronum qui iudicas iustitiam.

Reddit causam, quare futurum sit, vt diabolus fugiat, & totus eius exercitus dissipetur. Quoniam, inquit, tu Domine fili Dei fecisti iudicium meū, & causam meā, id est, absoluisisti iudicium, & litem (id enim proprie sonat vox Hebræa, dini) & contro-
וְיָ uersiam, quæ erat generi humano, siue Ecclesiæ cum diabolo. Diabolus enim præ- tendebat genus humanum iustè à se teneri captiuum, & tyrannicè illud vexabat; sed Christus in Cruce absoluit hanc litem, satisfaciens pro homine; vnde subditur; Sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam. vbi Crucem vocat thronum, iuxta illud S. Leonis serm. 8. de passione Domini: O ineffabilis gloria passionis, in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est Crucifixi. Atque hæc sunt verè occulta Filii Dei, vt habetur in titulo Psalmi. Qui enim in oculis hominum reus videbatur, & cum summa ignominia pœnas luere; is illo ipso tempore in throno sedens iustitiam iudicabat, id est, iustissimè iudicabat, iam precio persoluto hominem liberandum, & diabolus dominio spoliandum, & re ipsa chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, vt scribit Apostol. Coloss. 2. tulit de medio affigens illud Cruci, & spolians principatus, & potestates.

V. Increpasti gentes, & perijt impius: nomen eorum delesti in æternum, & in sæculum sæculi.

Post debellatum diabolus per crucem, Dominus Christus per Apostolos increpauit gentes, arguens mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio (vt ipse Dominus futurum prædixit) & eo modo periit impius, id est, periit impietas idololatriæ, & homo de impio factus est pius. Nec solum periit impius, qui tunc erat; sed deleuit Christus nomen eorum, id est, gentilitatis, & idololatriæ in æternum, vt non amplius sint reducturæ, quasi stirpis eradicatæ. Id quod iam videmus ita impletum, vt ne Iudæi quidem colant amplius idola; qui ad

ea colenda propensissimi erant. Quod attinet ad verba, in Græco non est, nomen eorum, sed nomen eius, id est, impii: sed in Hebræo est, nomen eorum, & Latina interpretatio idem habet, vel quòd olim in Græco ita legeretur, & postea sit mutatum vitiolibrariorum; vel quòd Latino interpreti magis placuerit lectio Hebraica: sed in sententia non est diuersitas vllius momenti. Illud autem in æternum, & in sæculum sæculi, in Hebræo est in sæculum & in æternum, significatur autem ista additione vera æternitas, id est, nunquā finienda duratio, ne quis acciperet hoc loco æternū pro longo tēpore, sed aliquando finē habituro.

Inimici defecerūt frameæ in finem, VI. & Ciuitates eorum destruxisti.

Reddit causam cur non sit reductura idololatria; quia perierunt arma Diaboli, & ciuitates vbi habitabat, ita vt non habeat, nec vnde offendat, nec vbi se defendat. Illud inimici, est genitiui casus vt patet ex Græco: nam ex Hebræo posset etiam verti, O inimice. sed rectissima est versio Græca & Latina, & non repugnat Hebraicæ. pro frameæ; in Hebræo nunc legitur solitudines, sed verbū Carabot, significat gladios, & Corabot, solitudines, vtrunque autem legi potest, solum mutatis punctis. Itaque Septuaginta legerunt, Carabòt, ideo rectè verterunt frameæ, siue gladii, vt sensus sit, defecerunt gladii hostis nostri diaboli, vsque in finem, id est, nullo remanente, siue in æternum. Illud etiam, Ciuitates eorum, in Hebræo, & Græco habetur sine pronomine, eorum, & Ciuitates destruxisti, nimirum inimici. quasi dicat inimicus amisit gladios, & Ciuitates. per gladios inimici intelligi possunt tentationes siue suggestiones, & quasi verba Diaboli, sicut gladium spiritus vocat Apostol. verbum Dei: vnde etiā idem Apostolus tētationes Diaboli dicit esse tela ignea, ad Ephes. 5. Dicuntur autem isti gladii defecisse, quia nihil nocere possunt armatis fide Iesu Christi. In quo sensu allegauit hunc locum Psalmi S. Antonius apud Athanasium in vita ipsius,

E 2 probare

חרבות
חרבות